

Petrus de Vinea

*Ep. VI 7 (Etsi causarum
uarietas, quae processibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 7 (Etsi causarum
uarietas, quae processibus...)*

post 1231? 1246?

Priuilegium concessum extraneis.

1. Etsi causarum uarietas, quae processibus nostris improuide semper circumfluit, et nationum pluralitas, quae sub dominii nostri felicitate respirant, in statu uiuendi pacifico causam nobis continue meditationis adducant, quadam tamen prerogatiua familiaritatis inducimur et assidua meditatione pensamus, qualiter peculiaris regni nostri Syciliae populus, cumque nos cura sollicitat, cuius nobis est hereditas omni possessione preclarior, sic tranquillitatis decore prepolleat, ut sub Caesaris Augusti temporibus augeatur. 2. Videntes uero hoc fieri non posse commodius, quam, si eiusdem Regni locuplex gremium ad ubertatis suae participationem recipiat extraneos et alienigenis filiis, quos genuerunt tamen loca fidelium, fecundetur, magna quidem prouisione decreuimus, ut: quicumque, Regni nostri filius effici cupiens, domiciliis illuc et familiis filiis omnino translatis, ipsius habere uoluerit incolatum, ut ad loca pascuae libere ueniat eiusque grata fertilitate uestatur et preter nostrae plenitudinem gratiae, quam sibi fauorabiliter pollicemur, in collectis et exactionibus publicis immunitate decennii se gaudeat incommutabiliter potiturum.

Lorem ipsum dolor sit amet